



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. III. Qui resignare beneficia non possint, & quibus possint resignari?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

promissam, aut constitutum ad resignandum Procuratorem, vel Romam quidem missam, aut ad superiorem legitimum, resignationem, nondum tamen ab hoc admissam &c. his enim in casibus non vacaret beneficium per resignationem, quamvis ultra 20. dies à tempore talis constitutionis, transmissionis, signationis &c. factæ hic supervixisset, sed vacaret vi hujus regulæ per mortem beneficiati, si à die præstiti consensus, coram legitimo superiore, ultra viginti dies non supervixisset.

§. III.

Qui resignare beneficia non possint, & quibus possint resignari:

1. **R**esignare sua beneficia non possunt criminiosi, qui ipso jure, beneficiis suis privati sunt, aut intrusi, & omnes illi, qui nullum titulum Canonicum habent, cum enim nullum jus in beneficio, sed sola fortassis possessio illis competat, consequenter nullum etiam jus per resignationem cedere, vel in alterum transferre possunt. 2. Resignare non possunt prius beneficium, qui ad secundum cum primo incompatible promoti sunt, quia per legitimam adeptionem secundi, primum ipso jure vacat, juxta *c. de multa 28. de prebend. & Trident. sess. 7. c. 4. de reform.* 3. Resignare non possunt sua beneficia, nec ex causa permutationis, mente capti, & furiosi Clerici, cum enim careant iudicio rationis, consequenter non minus inepti sunt ad resignanda sua beneficia, quam ad alios actus legitimos, nisi fortassis lucida intervalla habeant, & tum temporis resignationem faciant, cum tali tem-

Compend. Pirking.

pore cesset causa, propter quam resignare non possunt. Possunt autem per se omnibus Clericis beneficia resignari, modo debitas qualitates, & conditiones habeant, cum regulariter, cui conferri potest beneficium, illi etiam resignari possit.

SECTIO IV.

De causis, ob quas renuntiationes beneficiorum valide, & licite fieri possunt.

Certum est, quod beneficiorum renuntiatio fieri non possit, sine iustâ & legitimâ causâ, ne nimia in resignandis beneficiis libertas in maximum detrimentum Ecclesiæ cedat: qualis autem causa sit iusta & legitima, in genere definiti non potest; quamvis certum sit, quod gravior causa requiratur in resignatione Episcoporum v. g. quam in resignatione aliorum minorum beneficiorum.

§. I.

Ex quibus causis possit Episcopus aut debeat, Episcopatus renuntiare.

Sex causæ de jure Canonico sunt expressæ, propter quas Episcopus confirmatus cedendi licentiam potest, vel etiam debet postulare, uti habetur in *6. nisi cum pridem 10. h. 1.* Prima scilicet est, conscientia criminis (quod impedit executionem officii sui, etiam post peractam pœnitentiam, qualia sunt illa crimina, quæ depositionis pœnam, aut perpetuam suspensionem, aut juris infamiam secum trahunt) Secunda est debilitas corporis (per quam impotens redditur

N

ad